Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 999
Quelle:
Copyright:

Codex:	Editio Lipſ.
primos peccatores ita.	*primos homines peccatores videmus ita.*
ea poena teneret.	*eadem poena teneretur.*
ipſi fuerant naſcitur.	*ipſi fuerant naſceretur.*
illius naturarum damnatio.	*illius reatus naturam damnatio.*
III. *ita a naturae.*	*ea naturae.*
immortalis fuerit.	*immortalis fieret.*
peccatum diſci potuiſſet.	*peccatum dici poteſt.*
iuſta eſſe poena quae peccati merito ſuae praevaricationi ſucceſſit.	*iuſtam eſſe poenam quæ peccanti merito ſuae prævaricationis acceſſit.*

Atque hic Lectoris erit optare.

CCLXXVI. VII E.25.

343 Codex membraneus lat. Sec. ſaltem XI. Folior. 90. f. luculente ſcriptus et rubricis diſtinctus continet *Libros III. de Vita Contemplativa*, qui jam Sec. IX. et deinceps *Proſperi Aquitani* Scriptoris Sec. V. ferebantur, ſed a *Sirmondo* et *Tillemontio* adſerti ſunt *Juliano Pomerio Afro* ejusd. Sec. ſed ſerius in *Gallia* primum Rhetori, tum Presbytero et Abbati, cui etiam jam ab *Iſidoro c.* 12. *de Script. Eccl.* tribuebantur, *Gennadio*, dum *c.* 84. *Proſperi* Scripta enumerat, de iis ſilente. Adi *Proſperum Pariſiis* editum 1711. f. ubi primo loco in *Adpend.* collocantur. In *Cod.* porro noſtro hunc titulum praeferunt: *In Dei Nomine Summi Opificis Incipit Prefatio Libri Proſperi.* Initium: *Diu multumque reniſus ſum uoluntati tuae. mi domine ſtudioſiſſime pontificum Juliane* &c. *Julianum* hunc *Fabric. Bibl. med. Lat.* L. IX. p. 197. neſcio quo nixus, Epiſcopum *Arelatenſ.* facit, quem *Carpentoractenſem* malim. Praefationi poſt ea verba: *Sed iam ipſa capitula quæ utcumque ſoluenda propoſuiſtis adtexam*, reipſa Capitulorum elenchus inſertus eſt, rectius ſane, quam in edit. *Proſperi Lugdun.* 1672. f. ubi poſt Praef. rejicitur. Abſoluto elencho pergit Praefatio: *Itaque iubes ut paucis ediſſeram quæ ſit uitæ contemplatiuę proprietas* &c. Liber I. lit. uncialib. praefert: *Incipit Liber Primus De Uita Contemplatiua. Quod Ea Sit Uitae Contemplatiuae Proprietas Ubi Deus Mundo Corde Uidebitur.* Initium: *Contemplatiua uita in qua Creatorem ſuum* &c. Mox a principio deperiiſſe videntur membranae *duae*, quae inſerto chartae folio adcurate ſubpletae ſunt manu Sec. XV. Librum II. praecedunt Capitula ita, ut ſubſequa Praefatio Capitulum I. cenſeatur. Liber hic inſcribitur: *De Actuali Vita.* Idem ordo obſervatus in Libro III.